



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Contra Malignvm Io||hannis Eccii Ivdici-||vm, Svper  
Aliqvot || Articvlis, A Fra||tribvs Qvibvs||dam Ei  
Svppo-||sitis, Mar||tini Lv-||theri || Defen||sio**

**Luther, Martin**

**[Leipzig], [1519]**

**VD16 L 4252**

F. Martinvs Lvthervs, Bono Lectoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-32690**

F. MARTINVS LVTHERVS,  
BONQ LECTORIS.

**L**egimus in Euangelio, Judæos: quando Christum perdere  
quererent, nec haberent in quo accusarent: verba eius cap-  
tasse, atque deprauasse, & crimina aduersus eum, mendacijs  
suis composuisse. quale est, cum reddenda, quæ sunt Cæsaris, Cæsari  
docuisset, quod homicidæ illi in aliam partem rapientes, criminati sunt,  
eum prohibuisse, tributa dari Cæsari. Ita, cum illos templum suum  
soluturos prædiceret in signum, illi templum dei ab eo soluendum, &  
in triduo reædificandum interpretantes, tanquam blasphemum ac-  
cusarunt. In tales & ego: mi lector: nouos quosdam sanctos nuper im-  
pigi, qui eadem inuidia languentes, cum Christi verbis per me expo-  
sitis resistere non possent, ceperunt mendosos aliquot articulos ef-  
fingere, mihique adscribere, vt ipsos veros damnarēt. Et: vt totam no-  
scas fabulam: sunt nobis finitimi quidam fratres, qui, cum auditori-  
bus meis ad se vocatis, familiariter congressi, priuato colloquio super  
doctrina mea contenderunt (nam, vt sunt homines de deo penitus de-  
sperantes, fame se perituros timent, nisi populum suis nanijs ac fabu-  
lis, vel a se, vel ex suæ farinæ fratribus excogitatis, sibi conciliarent) Quos  
cum, neque conuincere, neque eorum doctrinæ resistere possent, college-  
runt articulos, quos ex eo colloquio male apprehenderant, sparserunt  
eos ubi poterant, obtulerunt sub meo nomine magnatibus, ac iam  
vulgo quoque me traduxerunt. Ego: qui eorum ruditatem miseratus:  
hæc hoc feci. sciens, quod non modo citra, sed contra quoque volunta-  
tem suorum, tum maiorum, tum omnium, qui eiusdem professionis  
sunt, id tentarunt. Scripsi tñ eisdem, primum beneuole monens, vt si-  
bi temperarent ne forte incendium nõduum contra seipsos conflarent.  
Aut si fiderent suo ingenio & scientiæ, proximam sibi Vuittebergam  
venirēt, disputaturi, ac confutaturi errores meos. simul addidi, qui es-  
sent falsi, & qua ratione quicque intelligendi. At fratres, non hoc quæ-  
rentes, quo veritatem agnoscerent sed, quomodo me detractioibus  
& calumnijs opprimerent, sperauerunt fore, vt Ecciana autoritate, ex  
mendacijs veritatem facerent, et quod male ac temere tentarant, il-  
lius nomine publice ornarēt. Eccius vero occasionem aduersus me in  
saniendi libentissime pro modestia sua amplexus, in formationes effu-  
tuit super eosdem, velut gaudens ac gratulans, quod me proscindere  
in tergum, neque monitum, nec cognitum liceret. Huc enim maligna  
eius inuidia ab initio nominis mei semper spectauit. Similem nanque  
ludum, & in virulentis obeliscis suis, iam antea in me iuserat: quæ ego  
iam diu beneuolentissime nisi ei ignouissem, talē forte orbis Eccium  
spectaret, vt Syluester meus eius comparatione, & doctissimus, &  
speciosissimus haberetur. Nam, mihi non est difficile, Eccium, Eccia-  
næque scientiam, suis pingere coloribus, qui norim hominem intus &  
in cute: qui: vt lupus ad philomelam dixit: vox est, ac præterea nihil.  
Ego vero, & si indignior sum, quam vt his Christi domini mei ten-

tationibus conformer, qui inferna millies merui tamē, quando sic placitum est in oculis misericordiae dei, non abijciam gratiam eius, & cum inuidia inuidisq; ac maleuolis calumniatoribus, libenter negotium habeo non minore fiducia veritatem contra mendacia defensorus, quam illi praesumpserunt mendacia contra veritatem producere.

**Q**UARE te lector charissime rogo, in hac re, nec mihi, nec Ecclesiae, nec fratribus illis faueas, sed purae & simplici veritati purum & a studiis partium alienum animum aduerte solumq; id specta, non, quam multa illi vel ego adduxerimus: sed quam apte, quam proprie, vel ad sacra scripturam, vel ad iustam rationis opinionem. quod a te hoc nomine quam enixe peto, quod mei moris sit, non adeo multa, sed eadem proprie, & quantum fieri potest: apte ad rem adducere. Ecce contra, vnicuius scopus sit, quam plurima, eademq; tum peregrina, tum pugnantia, producere solum, ut multa salua coacta, multum spuat nulla prorsus ratione habita, unde, qua, quid, aut quo valeat quod loquitur. Neque enim mihi in istis sophistis aliud aequae displicet, quam quod dedita opera, a verbis sacrae scripturae fugiunt. Quorum vnus mos est dicere, sancti sic dixerunt: nunquid tu maior es patre nostro Abraham? Tu vero lector, illud Augustini vtrinque adhibeto fidelissimum documentum, iuo dicit, Ego solis eis libris, qui Canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum scriptorem eorum errasse firmissime credam: caeteros vero, quantalibet sanctitate doctrinaq; praepollent, ita lego, ut non ideo verum existinem, quia ipsi sic senserunt: sed si canonicorum librorum autoritate, vel probabili ratione, mihi persuadere poterunt. hoc est, quod b. Paulus quoque dicit. Omnia probate, quod bonum est, tenete. Has sancti spiritus regulas Ecclesius meus semper & egregie contempsit, verba textus in sacris literis prorsus pro fabulis habes. Quo fit, ut neque scripturas ipsas, neque patrum, quos iactat sententias recte possit, aut intelligere, aut aptare: & hac temeritate impleat illud Pauli. i. Timo. i. volentes esse legis doctores, cum ignorent, neque quid loquantur, neque de quibus affirmant. Quae omnia, an vere de Ecclesia dixerim, iam Ecce tu ipse lector clare videbis. Caeterum, quod in Ecclesiam mihi inuehendi digna esset occasio, quia pactum, quod tanto tempore nobis Lipsiae extorsit, ipse primus hoc maledicae scriptiois genere, sine causa rupit, interim dissimulabo, contentus, quod hoc disfrago & maledico calumniatori coactus sum respondere, gaudensq; quod non mihi, sed suae temeritati imputare cogitur, pacti laesa iura, vale optime lector.

## ARTICVLVS PRIMVS

**Nihil tenet de concilijs generalibus, quia non representant vniuersalem ecclesiam.**

Hunc non esse meum, credo, intelligit quicumque resolutiones meas & dialogum contra Syluestrum legerit, quando id vnicuique deploro